





892

DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> JURIDICA  
*DE*  
COMPENSA-  
TIONE,

*QVAM*  
DEO T.O.M. bene juvante

*Sub PRÆSIDIO*

DN. JOHANNIS GEORGII  
SCHERZII,  
J. U. D. & Prof. Publ. Ordinarij,

p. t. R E C T O R I S Universitatis Magnifici  
& Capit. Thom. Canonici,

IN ALMA ARGENTINENSIMUM  
UNIVERSITATE

*SOLENNI* Eruditorum Examini  
subjicit

IGNATIUS CETTI,  
Selestadiensis-Alsata, AUCTOR.

*A. d. XVI. Februarij Anno MDCC XX.*

---

ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.

D E O,  
P A T R I A E,  
P A R E N T I B U S  
E T  
A M I C I S.



**C**ompensationis materia & utilis est in foro, vitaque civili, & in scholis crebram disserendi materiam præbet. Hinc, cum Publico fides effet facienda de meis in Juris studio Profectibus, credidi me rem facturum non alienam ab instituto meo, si quadam amplissima illius materia, tanquam Thema Disputationis proponebam. Rogo autem DEUM T.O.M. ut huncce laborem nostrum feliciter cedere jubeat; simul etiam Benevolum Lectorem rogatum cupio, ut erranti eo facilius veniam impertiatur, quo promptius fateor me Hominem esse.

## §. I.

**C**ompensatio bene definitur, q' od sit  
Debiti & Crediti inter se contribu-  
tio , ipso jure mutuum debitum tollendi  
gratiâ facta.

## §. II.

Dum dicitur esse *Contributionem de-  
biti & crediti* satis docetur Compensatio-  
nem inter eos, qui non sunt mutui debi-  
tores, vel in eorum locum successere, lo-  
cum non invenire. Hinc est, ut Compen-  
satio non procedat , si debet maritus &  
debeat uxori , vel debeat Civibus, &  
debeat Civitas, vel debitor Principalis de-  
beat & debeat fidejussori , vel debeat fi-  
lius & debeat Patri, vel debeat Tutor  
suo nomine & debeat Pupillo.

## §. III.

Voces : *ipso jure*, non id indigitant,  
quasi Exceptio Compensationis in foro  
non esset alleganda; sed eo tendunt, quod  
Compensatio, posteaquam debita ratione  
est allegata, vires suas exerat, non demum

ab

¶ (5) ¶

ab eo momento, quo fuit allegata, sed ab illo, quo mutuum debitum adesse coepit; cuius rei hic est effectus, quod exinde mora non amplius commissa esse censeatur; quod pignora & fidejussores liberentur; quod usuræ currere desinant.

§. IV.

Germani Compensationem intelligunt per Abrechnung/ Abschlag; hinc proverbium: Abschlag ist gute Bezahlung / vid. Hert. in Parem. Jur. Germ. lib. 1. Par. 38.

§. V.

Dividi solet Compensatio in Perpetuam & Temporariam; ubi Temporariæ nomine Retentio denotatur; sed Divisio hæc admodum est imperfecta; revera enim definitio Divisi uni Divisorum, nempe Retentioni, non convenit.

§. VI.

Non tantum Jure Civili obtinet Compensatio, sed Juri Naturali summe est conveniens. Quid enim æquius est, quam,

A 3

ut, si

ut, si Andreas debeat Bernhardo, postea autem Bernhardus incipiat vicissim deberre Andreæ, Andreas nil cogatur solvere Bernhardo, nec etiam Bernhardus Andreæ aliquid solvat. Cui enim bono cogatur Andreas solvere Bernhardo illam summam, quam statim ipse à Bernhardo iterum potest repetere. Hanc æquitatis rationem optime exprimit *JCtus Paulus in l. 173. §. 3. π. de R. I.* dicens: *Dolo facit, qui petit, quod redditurus est; id est, uti recte Jacobus Gothofredus in Comm. ad R. I. explicat, qui petit id, quod eidem in continent, statim redditurus est; quod eo magis in vita Civili impediendum, quo magis nostra interest non solvere, quam solutum repetere, juxta l. 5. π. de Compens.* Multa enim post primam solutionem factam possunt intervenire, quæ solutionem ex altera parte faciendam vel morantur, vel plane sufflaminant.

## §. VII.

In Compensationem autem in judicio  
non

non alia debent venire debita, quam quæ utrinque sunt liquida, &c, uti lex fin. C. de Compensat. loquitur, *non multis ambagi-bus innodata.* Dicuntur autem liquida, illa, de quibus constat quid, quale, quantum debeatur. Constat autem hoc censetur etiam de illis, quorum conditio intra terminum probatorium manifestari potest, licet nunc actu nondum illa sit nota. *Carpzov. Jurisprud. For. P. I. c. 8. def. 10.*

## §. VIII.

Compensantur autem Quantitas cum, Quantitate, modo res, quæ in compensationem deducuntur, sint ejusdem generis proximi, vel, ut cum Logicis loquamur, ejusdem speciei; hinc si debeam tibi 10. mensuras vini, tu autem mihi debeas 10. mensuras olei, Compensatio locum non invenit. *arg. l. 2. §. 1. π. de Reb. Credit. l. 16. C. de solut.* Id autem non requiritur, ut ex utraque patre æqualis debeatur Quantitas. Nam in *l. 12. C. b. t. Maximia-*

nus & Diocletianus Corneliano rescribunt, quod si ipse Creditori suo, qui & ipsi aliquid quidem debet, sed minus eo, quod Cornelianus debet, opposuerit Compensationem, illa valeat, ad eum effectum, ut si id, quod suummam compensatam excedit, ipse solverit præterea, contra creditorem Actione Pignoratitia ad pignora recipienda agere poterit. adde l. 5. C. eod. Species autem cum Specie seu Corpus cum Corpore, aut Species cum Quantitate non compensatur. l. 26. §. 4. t. de Cond. Indeb. l. 13. §. π. de Pignor. arg. l. 2. §. 1. de Reb. Cred. Cujus rei ratio est, quia Species pro Quantitate aut Species pro Specie regulariter solvi non potest: præterea etiam diversa est æstimationis & affectionis ratio, quæ in Species cadit. Si tamen Species sint pares, quarum una alterius vicem eandemque æstimationem habet, tunc Compensatio admittenda videtur; cum ratio cur Compensatio prohibita est, nempe affectio & di-

diversitas valoris hic cesseret: hinc si Titius  
Mevio promiserit usumfructum fundi Tu-  
sculani, ipsi autem à Cajo, cuius heres  
est Mevius, legatus fuerit ususfructus fun-  
di Tusculani, Compensatio locum habet,  
adeoque neuter aliquid praefat. vid. *Hil-*  
*liger in Donell. Encl. cap. 15. l. 16. lit. x.*  
Et Frantz. in *Comm. ad π. b. t. n. 18.*  
Admittitur etiam Compensatio, si species  
fuerit æstimata venditionis gratia; Idem  
obtinet, si genus utrinque debeatur, e. g.  
debeo Andreæ equum in genere, Andre-  
as mihi vicissim debet equum in genere;  
hic Compensatio omnino locum habe-  
bit. conf. *Bachov. ad Treutler. Dissert. 25.*  
§. 8. lit. 10.

## §. IX.

De rebus Depositis in primis quæri-  
tur, an in illis Compensatio locum ha-  
beat? Hic manifestum ex iis, quæ de spe-  
ciebus diximus, quod in deposito speciei  
illa adhiberi non possit, ne quidem si pe-  
cunia fuerit deposita; cum & illa in hoc

B

ne-

negotio naturam speciei seu corporis induat. Majus dubium est de casu, si res deposita culpa depositarij perierit, & contra ipsum hoc nomine Actio depositi instituatur, annon Compensatio allegari possit, si deponens vicissim Depositario aliquid debeat? Pro negativa est l. ult. pr. C. de Compensat. ad quam respicit Imperator Inst. de Action. I. 30. dicens: Nostra Constitutio easdem Compensationes, qua jure aperto nituntur, latius introduxit, ut actiones ipso jure minuant, sive in rem, sive in personam, sive alias quascunque, excepta sola Depositii Actione, cui aliquid Compensationis nomine opponi sane iniquum esse credimus, ne sub praetextu Compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur. Pro affirmativa autem est, quod ubi pro specie restimatio est restituenda, compensari possit; & deponens fallendi vel laedendi animum satis ostendat, si rem, quam in effectu (si vicissim aliquid debet) penes se ha-

habet denuo exigat. vid. *Titius in observ.*  
*ad Lauterb. ad h. t. Observ. 451.* Nobis Ne-  
 gativa verior videtur? satis enim Impe-  
 rator ostendit se Deposito, tanquam ne-  
 gotio, quod ex singulari fiducia de alte-  
 riis fide contrahitur, singularem & ano-  
 malum plane effectum tribuere voluisse.  
*conf. c. ult. X. Depof.*

### §. X.

De Annuis Reditibus nunc disquiren-  
 dum. Duplex autem hic oritur quæ-  
 stio. Prima: An si Emotor annuorum  
 redditum venditori debeat aliquam pe-  
 cuniæ summam pretio Emotionis, sive æ-  
 qualem, sive minorem, venditor horum  
 redditum compensatione uti possit? Nos  
 id affirmandum censemus. Nam qui  
 compensat, solvit per l. 76. π. de V. S.  
 Nunc autem notissimi Juris est, quod  
 Venditor talis solvendo pretium acce-  
 ptum se pro libitu liberare possit ab o-  
 nere solvendi Annos Reditus. Exten-

B 2 dunt

dunt hoc aliqui ad eum etiam casum , si  
nempe in contractu Emtionis Venditionis horum reddituum conventum fuerit , quod reentio eorum debeat simul fieri una eademque vice , que la rente ne soit rachetable , qu'en un seul payement .  
vid. Brodeau ad art. 105. de la Coutume de Paris , ubi notat Arresto quodam memorabili mens. Dec. 1607. ita fuisse judicatum . Extensionem autem hancce Regulis Juris non convenire cum Mornacio ad l. 4. π. de Compens. aliisque arbitramur . Altera quæstio est : An si Emtor Annorum Redituum aliquam pecuniax summam Venditori debere incepit , & eo nomine conveniatur , Emtor Compensationis Exceptione uti queat ? Ad quam respondemus , quod non ; ex eadem ratione , quia , qui compensat , solvit ; cum itaque juxta communia jura Debitor Annorum Reditum à Venditore ad solvendum seu ad restituendum pretium Emtionis , quod accepit , cogi non possit , nec cogi

( 13 )

cogi poterit , ut Compensationem admittat.

### §. XI.

De eo etiam dubitatur: An, si quis juravit se soluturum hoc vel illud , Compensationis beneficio gaudeat ? Existimamus autem non invita veritate asseri hoc posse , non tantum in eo casu , si debitum demum post juramentum interpositum supervenerit , sed & in eo , si jam adsit , modo jurans illud adesse nesciat ; aut saltem de eo non cogitet . Quodsi autem ei constet de debito suo , per hoc , quod jurat , videtur renunciasse juri compensandi , & se ad naturalem solutionem obstrinxisse . conf. *Coccejus in Jure Civ. Controv. p. m. 76.*

### §. XII.

Quid autem dicendum de casu , si Creditor meus , qui & ipse mihi debet , Actionem suam Tertio cedat , An Exceptio Compensationis , quæ opponi poterat Cedenti , nunç etiam contra Cessionari-

B 3

um

um allegari potest? Negat quidem hoc  
*Carpzov. lib. 3. dec. 255.* sententiamque  
suam duobus præjudiciis *Fori Electoralis*  
*Saxonici* firmat, sed in affirmantium sen-  
tentiam *Juris Ratio* nos ire cogit. Cum  
enim *Compensatio* ipso jure fiat, conse-  
quens est debitum illud, quo quis teneba-  
tur Cedenti, vel in totum vel in tantum  
fuisse sublatum eopse momento, quo Ce-  
dens Debitoris sui debitor esse coepit: un-  
de sequitur jus exigendi illud debitum,  
quod est expunctum, non potuisse trans-  
ferri in Cessionarium. *l. 20. n. de A. R. D.*  
*l. 54. n. de R. I. conf. Frantzkius lib. 1. Re-*  
*sol. 13.* Movit hæc juris *Ratio Scabinos*  
*Lipsiensis*, ut, vivente & assidente adhuc  
*Carpzovio*, ab Antecessorum suorum sen-  
tentia recesserint, & Compensationem hic  
locum habere debere decreverint, uti no-  
nat Celeberr. *Christian. Thomasius in no-*  
*tis ad Strauchijs Differt. XVII. S. 10. p. 194.*  
Obtinet autem hoc non tantum si Cessio-  
narius directa agat Actione, sed & si utili;  
cum

cum actio utilis ad plus dari non pos-  
sit, quam dabatur actio directa; sicque  
res se habet, sive Cessio ortum debeat titu-  
lo lucrativo, sive oneroso; vid. ante alleg.  
*Frantz k. lib. I. Ref. 13.*

### §. XIII.

Potest autem allegari Exceptio Com-  
pensationis & ante litis contestationem ad  
impediendum litis ingressum. vid. *Carp-*  
*zov. Jurisprud. For. P. I. C. 8. dec. 2. &*  
post eam, lite jam fervente. Imo post la-  
tam sententiam in ipsa Executione; juxta  
regulam in jure fundatam & in foris re-  
ceptam; quod omnis Exceptio perempto-  
ria, quæ non impugnat sententiam ipsam,  
opponi possit in Executione. conf. *Mül-*  
*ler. ad Struv. Synt. J. Civ. Ex. 21. §. 28..*

### §. XIV.

Quod si opposita non fuerit Compen-  
satio, sed ex errore id, quod ab Adversa-  
rio perebatur, sit solutum, tum Condictio  
indebiti locum habet; revera enim eo  
tempore, quo solutio est facta, ne debitum

qui-

quidem naturale aderat ; qui enim compensare potest, soluisse videtur. Cui sententiae destruendae non sufficiunt l. 8. π. Rer. Amot. & l. 2. π. b. t. & l. 20. Instit. de Action.

§. X V.

Annon vero Judex videns Compensationis Exceptioni locum esse , proprio motu, si ille etiam, qui Compensatione uti poterat, taceat, ejus rationem habere debet? Respondendum videtur, quod, si ex Actis Judicialibus clare hoc Judici apparet, Judex eam attendere beat. Quod secus se habere statuunt Dd. si aliunde ejus rei habeat notitiam. vid. Zaunschliffer. de Off. Judicis Suppletor. P. 1. Concl. 10. §. 4 & Part. 2. Concl. 11. §. 5. Possent hisce plurima ex Materia hacce amplissima & utilissima addi ; verum instituti nostri ratio nos hic rivos claudere jubet.

J

**DEO SOLI GLORIA.**

1018

**ULB Halle**  
007 430 779

3







1720,6.

DISSE<sup>R</sup>TATI<sup>O</sup> JURIDICA  
*D E*  
COMPENSA-  
TIONE,  
*Q V A M*  
DEO T.O.M. bene juvante  
*Sub PRÆSIDIO*  
DN. JOHANNIS GEORGII  
SCHERZII,  
J. U. D. & Prof. Publ. Ordinarij,  
p. t. R E C T O R I S Universitatis Magnifici  
& Capit. Thom. Canonici,  
IN ALMA ARGENTINENSIVM  
UNIVERSITATE  
SOLENNI Eruditorum Examini  
subjicit  
IGNATIUS CETTI,  
Selestadiensis-Alfata, AUCTOR.  
A. d. XVI. Februarij Anno MDCC XX.

ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS PASTORII.